



# CAPUT SEXTUM.

**I**n hoc sexto Capite sex sigilla Libri hujus Apocalypseo aperiantur, In apertione primorum quatuor sigillorum evocatur Ioannes à quatuor animalibus per ordinem, & ex his primis quatuor exeunt equi cum suis sessoribus. In aliis vero nulla de equis fit mentio, & hoc sanè ex magno mysterio in quo sigillo apparent sanctorum Martyrum anime vindictam suorum sanguinum postulantes. In sexto sigillo cæli luminaria obtenebrantur, ac ab ipso cælo stella cadunt.

*Apos. 6. n. 1.* Et vidi quòd aperuisset Agnus unum de septem sigillis, & audiui unum de quatuor animalibus dicens, tanquam vocem tonitru, Veni, & vide.

### VERSIONES.

*Arabicus.* Vidi, quod aperuisset Agnus unum ex septem libri sigillis.  
*Vatablus.* Cum aperuisset.  
*Marianna.* Audiui primum de quatuor animalibus.

### EXPOSITIO I.

*Christus quia mortuus exaltatus est à Patre.*

*Apos. 4.*

*Psal. 1.*

**I**nter vidi, quod aperuisset Agnus unum de septem sigillis. Tum dicitur cap. antecedenti num. 8. quod Agnus aperuisset librum, intelligitur per anticipationem dictum. Non enim apertus est liber, donec sigilla aperta sunt; & in apertione libri, ac sigillorum semper Christus dicitur Agnus, eo quod immolatus sit pro nobis in modum Agni; & propter hanc immolationem meruit Christus exaltari, & omnibus dominari, ac librum aperire.

Et audiui unum, scilicet primum de quatuor animalibus, Leonem nempe, ut patet cap. 4. num. 7. *Tanquam vocem tonitru,* magnam scilicet, ac terribilem, qualis fuit vox Evangelistarum, ac Apostolorum Dei, de quibus dicitur in Psalmo 18. *In omnem terram exiit sonus cornu.* Vox clamavit, ac dixit. *Veni, & vide.* Leo ostendit hanc primam visionem, in qua Christus Dominus inducitur ut sessor, & eques, ac omnium Rex, & Dominus. De quo q. 3. in principio.

### QUESTIO I.

*Quodnam esset hoc primum animal Ioannem vocans, tanquam voce tonitru?*

**Q**uodnam sic hoc primum animal, varia sunt placita Doctorum juxta varias expositiones, de quatuor animalibus, ut reuli cap. 4. n. 25. ubi eum communi sententia resolvi esse quatuor Evangelistas, ac proinde primum animal est Leo, qui S. Matth. Evangelistam denorat.

Oppones. Si in his quatuor animalibus accipiuntur quatuor Evangelistæ, quomodo dici potest, quod quartum animal dicat *Veni, & vide,* quomodo intelligi potest, quod ipse semetipsum vocet, maxime cum nondum esset Evangelista, cum hæc scribebat, nam post Apocalypsim scriptam, & regressum ab insula Pathmos suum Evangelium scripsit.

Respondendum est, quod ea, quæ Ioannes hic videbat non erant res existentes à parte rei, sed solum ad futurorum significationem, menti ejus obijciebantur, ac representabantur, proindeque potuit Ioannes semetipsum referre, sibi quemetipsi loqui, ut spiritu veniret, & quæ futura erant in Ecclesia etiam circa seipsum videret, & cognosceret: Sæpè enim contigit, ut nobismetipsis loquamur, ac nosmetipsos ad magna exhortemur.

*Primum animal Leo obiectio.*

*Solutio.*

*D. Hieron. Psal. 79. D. Basil. Psal. 18.*

*Veritas Evangelica personat in toto orbe.*

*Rupert.*

*Et.*

ait, vox tonitru, quia videlicet, non sicut probrosa vanitas, susurrat in auribus, sed palam omnimodo prædicari amat plenitudo partus virginalis, ita ut merito comparatur tonantibus cælis.

Secundo, vox hæc veritatis Evangelicæ, ac doctrinæ sacræ Scripturæ, insonuit, ut tonitruum, quia non solum in manifesto maxime insonuit, sed etiam magnum errorem in omnium animos ingerit. Unde Christus Dominus de se ait. *Sicut fulgur exit ab Oriente, & pariet usque in Occidentem; ita erit, & adventus Filii Dei.* Matth. 14. num. 27. quod Origenes homil. 50. in Matth. explicat, quia Christus Dominus luce suæ doctrinæ totum orbem illuminat; sed tamen ulterius inquit, quam ob causam hujus veritatis lux, non jam cum Solis, Lunæ, & Stellarum luce, sed cum luce fulguris comparatur? Credo equidem, quia sicut fulgur non solum illuminat oculos, sed etiam animos pertetter; imò, & corpora, in quæ incidit, absumit; ita planè vox fidei ac Scripturæ, non solum splendorem ingerit, sed etiam terrorem, & in eorum animos, in quos verè pertransit, quidquid terrenum est, consumit, & perimit.

Tertio, Ioachimus Abbas profundè inquit, quare cum primum sigillum aperitur ab Agno vox ad instar tonitru auditur cum nihil ita timore concutiat, quam tonitruum? sic explicat citatus Abbas, quia Dominus tempore suæ resurrectionis, cum primum referavit sigillum, tunc Leo de tribu Juda magno terramoto, tanquam tonitruo totum orbem pertetter, & maxime Judæos, qui eum crucifixerunt. Sic ait citatus Abbas. *In apertione ergo primi sigilli primum animalium quatuor, ac si vocem tonitru dedit, quia prædicantibus Apostolis, cum ceteris Christi discipulis resurrectionem Dominicam, & terribilibus quidem sonus factus est in orbem terrarum.*

Quarto, & quod etiam maxime inquit quaestio. Vox hæc loquens Ioannis; ait ei. *Veni & vide.* Ad quid ei ait *Veni*; jam enim ipse mente sublevatus erat in cælum; dictum est enim ei cap. 4. n. 1. *Ascendit hinc* Deinde ad quid ei dicitur prius *Veni*, & postea *Vide*. Quia ad hoc ut videamus, ac intelligamus Christi Domini mysteria, necesse est ut prius veniamus, non greffu corporis, sed mentis ac fidei; ita ut quanto altiora sunt mysteria agnoscenda, tanto magis debemus mente in cælum evolare, & in hac re nullo modo gradu est standum. Rupertus, *Oportet eum, ait, qui talium dictorum nempe miraculorum, sibi signaculum solvi, id est intelligentiam, aperiri cupit, prius habeat meritum fidei, sequitur ergo veni & vide, hoc est primum crede, & sic deum intellige.*

Quinto, Richardus de S. Victore. *Qua in hoc loco, ait, spiritualiter Sancto Ioanni ostenduntur, ad eligendorum, & convertendorum personam spiritualiter referuntur: ipsi enim in his verbis dicitur, ut per conversionem veniat, & per fidem videant gratiam regenerationis primitivæ Ecclesiæ collatam, quam ignorant, & gratiam per Baptismum suscipiendo, & Ecclesiam imitando ad vitam pergant.* Vocatur Ioannes ut veniat spiritu, & ut videat superna mysteria; an ad beatitudinem consequendam sufficit solum videre ipsa alta mysteria, nequaquam sanè; quando ergo ei dicitur tantum, ut veniat, & videat; litur solum, ut tantum in visione

conquiescat, sed etiam ut id quod viderit imitatione adimpleat. Et Ecclesiam imitando ad vitam pergant.

conquiescat, sed etiam ut id quod viderit imitatione adimpleat. Et Ecclesiam imitando ad vitam pergant.

Ad Ecclesiam, seu animam justi ait Deus; *Audi filia, vide, & inclina aurem tuam: & obviscere populum tuum, & donum patris tui.* Pl. 44. n. 1. tria ei commendantur; primo, ut erudiat, secundo ut videat; tertio ut oblivionem habeat de populo suo, ac de domo patris sui; nonne sciat erat audire, & videre mysteria fidei; ad quid ultra tanta oblivio ei commendatur; quia non sciat est audire, ac videre mysteria fidei, sed ultra necesse est, ut quis habeat oblivionem de antiqua sua pravitate, ac sobole, ut ita cum omni puritate, ac sinceritate teneat, sequatur ac imitetur ipsa superna fidei mysteria. Sic subdit citatus D. Paschas. *Obliviscere populum tuum, & domum patris tui; Ut ita, ait, flare aitis mentes, virtutibus, & fructificetis opere, ita ut fructus vester maneat in retributione.*

Superna dispositione nomen Epiphaniæ impositum est illi mysterio, quando puer Jesus Magis adorandus apparuit; est enim Epiphania idem quod apparitio. Sed cur dicitur Jesus tunc apparuisse, & non potius cum natus visus fuit in stabulo; ait D. Ambros. *Serm. 19. Tunc primum D. Ambros. signis, atque miraculis credentium cordibus Deus Christus illuxit, & in tenebras conscientias, hominum, fidei splendor advenit; cum igitur Deus visus sit, & universa possideat; nam est prius natus ex Virgine oculis carnalibus videbatur, tamen non apparebat, quoniam virtutem ipsius adhuc fidei acies ignorabat.* Et si quando natus est puer Jesus, tunc primum apparuit, ac vitus est ab hominibus, tamen superna dispositione tunc simpliciter dicitur apparuisse, quod per fidei aciem ejus virtus manifestata est, ut tres Magi dependentes regale fastigium, ad ejus pedes se humiliter prostraverunt, eus sacram abjectionem imitantes, ut ad ejus exemplum, contemnerent divitias thesaurorum suorum, quos ad ejus fastigia liberalissimè submiserunt.

*Apos. 6. n. 2.* Et vidi, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, habebat arcum, & data est ei corona, & exiit vincens, ut vinceret.

### VERSIONES.

*Syrus.* Et fuit equus albus, & qui sedebat super eum.  
*Primasius.* Qui sedebat super eum habebat sagittam, exiit ut vinceret, & victor exiit.  
*Aretas.* Exiit vincens, & ut vinceret.  
*Arabicus.* Et qui sedebat ei, habebat arcum, & cum tum quidem prodit, ad vincendum, & vicit.  
*Arias.* Sedens super illum habens arcum.

EXPOSITIO II.

Ecce equus albus. Ex quatuor primis libri signati sigillis, quatuor prodeunt equi; primus est albus, & sunt Apostoli, alique Prædicatores Evangelici, per quos Christus totum mundum debellavit, ac subiecit, Sessor est Christus Dominus, cujus frænum Prædicatores Evangelici suscipiunt, eò suum cursum dirigentes, quò eos, sessor invitavit. Habebat arcum, Arcus Christi est sacra Scriptura, cujus quot sunt verba ac sententiæ, tot sunt sagittæ acutæ, vulnerantes quosdam ad vitam, quosdam autem; qui illi resistunt ad mortem.

Es data est illi corona; utique aurea, ex omni lapide pretioso in signum regni ac victoriæ suæ, ut inde præmieretur bonos ac justos. Exiit, ut, vincens, ut vinceret. Græcè, Exiit vincens, ac ut vinceret, id est exiens jam tum vincebat, et in posterum victurus, ac debellaturus erat hostes suos.

QUESTIO II.

Quare ex primis quatuor sigillis prodeunt quatuor equi, & quid ipsi significant?

De septem sigillis, jam supra egi cap. 5. quæstione... Septem ergo sigilla mysteriorum, ac Sacramentorum universitatem significant, nam sigillum est tanquam symbolum, seu arcanum, quod sub se aliquid tegit, & involvit. Sunt autem septem pro universitate Sacramentorum, & ideo hic numerus valde frequenter sumitur in toto hoc libro. Unde supra septem stellæ, septem candelabra, septem lampades ardentes ante thronum Dei, septem Spiritus missi in omnem terram, septem cornua Agni, septem tubæ, septem phialæ.

Quid verò hujusmodi quatuor equi, eisque sessor significent, tot sunt sententiæ, quot capita, & valde prolixum esset singulas referre, quod multa ex parte præstabo, dum de unaquaque particulariter fuerit fermo; nunc verò de eis simul sumptis agimus.

Primò, Ambrosius, Ansbertus, Aretas, Arias existimant omnes hos quatuor equos eundem habere sessor, scilicet Christum Dominum, ad hominumque salutem, & redemptionem, eisque victoriam pertinere: dicuntque in equo albo exprimi Christum Dominum in Eucharistico arcano sub albedine illarum specierum; In equo rufo significari ipsummet, prout totus igne charitatis succensus debebat in hac vita; In nigro denotari ejus potestatem judicariam, in cuius signum sol obscurabitur; In pallido verò ejus sacratissimam mortem innui.

Tamen quod equi, ac sessorum diversa habeant significata constans est Doctorum sententia. Ita Ticonius, Primasius, Beda, Haymo, Lyran. Thomas, Joachimus, Aureolus, Pannon. Viegas, Ribeira, Pererius, Cornelius, & alii

13.

14.

Græcus.

15. Quis sunt septem sigilla.

16. D. Ansb. Ansbert. Aretas. Arias.

18. Ticonius. Primas. Beda.

& hoc patet ex multis signis, & notis eorum, quæ non possunt bene adaptari ad Christum Dominum qui est Princeps pacis, siquidem tales sessor habent gladios ad seminandas, discordias, & bella, ut homines se invicem interficiant gladio, fame, morte, & bestiis terræ.

Secundò, Victorinus, Per equum album, ait significari Evangelii Prædicationem, quæ mundum subegit sibi, & Christo; per tres reliquos accipit bella, fames, & prædictas in Evangelio. Hæc tamen sententia non aprè explicat rem, & mysteria hujus libri.

Tertiò, Alcazar Notat. i. existimat per quatuor prima sigilla, seu per quatuor equos diversi coloris significari magno mysterio admirabilem providentiam, quam offendit Deus in salute Judæorum, qui in Christum crediderunt, tribus autem postremis sigillis significari infelicitatem, & pœnas Judæorum, qui Christo non crediderunt, & rebelles extiterunt.

At hæc sententiæ multa graviter incommo- dant Primò, quia liber Apocalypseo est liber propheticus; at prædicta sententia Prophetias transfert in historiam, & faciendum, in factam, quod in Propheta satis grave est. Ait Alcazar quatuor prima sigilla, seu quatuor primos equos denotare has quatuor divinæ providentiæ perfectiones, scilicet virtutem, beneficentiam, æquitatem, & sapientiam. Virtus cum equo albo, & rectore bene componitur, at beneficentia cum equo rufo, & suo magna gladio tolerantem pacem de terra, non bene cohæret, sicut nec sapientia cohæret cum equo pallido, cui insidet mors, quem sequitur infernus, cui datur potestas, ut interficiat omnes gladio, fame, peste, ac bestiis terræ.

Quartò, Aureolus, & Viegas sect. 2. cum teneant per equum denotari imperium ut statim dicam, existimant per hos quatuor equos denotari imperium Romanum, sub diversis tamen Imperatoribus. Per equum album dicunt significari imperium C. Caligulæ, qui Christi Evangelium non implevit, imò in Judæos Christi hostes maximè deservit; Herodem cum uxore ac Pilatum, & alios severè punivit, ut testatur Nicephorus lib. 2. Histor. Eccles. cap. 9. Secundus equus rufus denotat Neronis imperium, quod habet gladium magnum, fuit enim crudelissimus Tertius equus significat imperium Titi, qui Hierosolymam obsedit, atraque fame, & gladio vastavit. Quartus equus pallidus præfiguratur Domitiani imperium, qui sua persecutione ingentem metum, & pallorem tum senatoribus, tum omnibus Christianis intulit. Quintum sigillum proferens animas interfectorum exprimit imperium Traiani, Adriani, Antonini, & cæterorum usque ad Diocletianum, talibus enim temporibus multi fuerunt Martyres. Sextum sigillum significat acerbissimam persecutionem Ecclesiæ sub Diocletiano, in qua sol, id est Christus visus est obscurari; sicut Luna, id est Ecclesia facta est tæbea; & Stellæ, id est multi Prælati, à vera fide, id est cælo exciderunt. Septimum sigillum, de quo à c. 8. denotat magnam Ecclesiæ consolationem, & pacem, ac lætitiâ sub Constantino magno.

Hæc sententia magnas patitur difficultates. Primò, quia statim futurum Ecclesiæ à Christo usque ad Constantinum tantum explicat, & à Constantino ad Antichristum saltat, cum inter utrumque

Haymo. Lyran. Joachim. Aureolus.

19. Victoria.

20. Alcazar.

21. Impugnatur prædicta sententia.

22. Aureolus. Viegas.

Nicephor.

23. Impugnatur prædicta sententia.

Decem persecutiones.

24. Joachim. Firmianus. Pannon. Perer. Cornelius. Menoch. Tiritus.

25. Impugnatur prædicta sententia.

26. Gagnæus. Beda.

utrumque multa, & mira conrigerint. Secundò, quatuor tantum equos vidi Joannes, persecutiones autem Ecclesiæ decem fuerunt, scilicet Neronis, Domitiani, Traiani, Antonini, Severi, Maximini, Decii, Valeriani, Aureliani, Diocletiani; ergo oportuit decem equos videre. Tertiò, hæc interpretatio sub quinto sigillo complectitur sex persecutiones, quæ fuerunt à Traiano usque ad Diocletianum; aliis verò sigillis, singulas tantum persecutiones attribuit, cum tamen illa Traiani, & sequentes æquæ acres, imò aciores fuerint, ut præcedentes. Quartò, hæc sententia ait quod in sexto sigillo sub Diocletiano nempe quod Sol, scilicet Christus in Ecclesia obscuratus est, Luna scilicet Ecclesia suorum sanguine facta est rubra, &c. Cur ergo hoc solum dicitur de persecutione Diocletiani, & non de aliis. Cum saltem æquæ crudeles fuerint.

Quinta sententia, quam tenent Joachimus, Seraphinus, Firmianus, Pannonius, Pererius Cornelius, Menochius, & Tiritus, ait, quod in primo sigillo inducitur Christus Dominus, quasi sedens sub equo albo, qui cum tribus sequentibus equis, & equitibus scilicet rubro, nigro, pallido successivè certabit, & quasi duellum inibit: singulosque tandem prosterneat, & debellabit, nimirum Gentiles, quos significat equus rufus: Hæreticos, quos significat equus niger; Turcas; & Sarracenos, quos significat equus pallidus. Hanc suam sententiam ipse Cornelius confirmat, quia equus Symbolum est imperii, ut patet ex Virgil. 1. Aeneid. Fodiens fundamentum murorum Carthaginis oblatum est caput equi quod portendebat fore urbem Imperii caput. Item ex Suetonio c. 61. Imperium perdidit Iulio Cæsari equus humanis prope pedibus in ejus domo natus, ut Aruspices responderunt, in cuius confirmationem adducit ex Pererio citando.

At contra hæc sententiam facit primò, quia conjicit omnes Martyres in unum tempus, omnes hæreticos in unum tempus, & intendit Martyres, & hæreticos, Turcas, sibi successivè succedere, quorum contrarium docet res ipsa, & experientia. Nunquid desitio hæreticorum fuit inchoatio Sarracenorum, & Turcarum? Post exortos Sarracenos multi fuerunt hæretici, multi que prodierunt Heresarchæ. Deinde cur maximè mors appropriatur Sarracenis, nunquid ipsi plures trucidarunt quàm Nero, Domitianus, Diocletianus, ac aliæ mundi pestes, quibus maximè convenit mortis symbolum. Tandem imperium Turcarum non tenet quatuor terræ partes; supra quartus sessor habet potestatem.

Sexta sententia, quam tradunt Gagnæus, & Andr. Cæsar Aretas, affirmat, quod equus albus, sint Apostoli, ac fideles primitivæ Ecclesiæ, sessor verò est Christus, exiens victor de morte ac Diabolo. Contra Victores fideles in Christo exivit alius equus rufus, nempe Romani Imperatores, quia à Nerone usque ad Constantinum multum Martyrum sanguinem effuderunt. Tunc exivit tertius equus niger. Cernens Diabolus nihil se Martyrum persecutione promovere, sed uno occiso multa millia repullulare, novos Ecclesiæ hostes suscitavit hæreticos, qui rectè per equum nigrum notantur, nam ipsi rejecto vero fidei lu-

mine in tenebris ambulant. Cum ergo cerneret antiquus hostis hæreticorum verfurias, ac perfidias nihil proficere, novos hostes suscitavit; & exivit equus pallidus: Cærus scilicet hypocritarum, & fallacium fratrum: qui exterminant facies suas, ut appareant hominibus jejunantes; & valde palliato colore versantur in orbe.

Hæc sententia eandem patitur difficultates ac superiores; præcipuè id quod dicit de equo rufo, scilicet Imperio Romano à Nerone usque ad Constantinum, ut dixi impugnando quartam sententiam. Deinde non bene intelligitur cur potius hypocritis tribuantur mors, ac infernus quàm hæreticis, aliisque tyrannis, qui principatum tenuerunt super quatuor partes terræ.

Ad explicandum id, quod sentio: præsuppono id quod est commune apud omnes: in hoc libro signato duo esse consideranda; primò sigilla libri. Secundò Materia in ipso contenta. Sigilla libri, quæ sunt tanquam schema, ac apparatus ipsius libri, proponuntur, & explicantur ad hoc caput 6. usque ad cap. 11. Tractatus, seu materia contenta in corpore libri, quæ est de sava Antichristi persecutione, proponitur, & explicatur à capite 12. & deinceps. Præsuppono secundò, quod equus signum & emblema est imperii ac dominationis; ut jam dixi, & multis habet Picrius Valerianus lib. 4. Hieroglyph. tum ob suam generositatem, & virtutem bellicam, tum etiam ob velocem cursum.

Dico ergo quod Joannes in hoc libro annuntiat ea, quæ pertinent ad universalem statum totius mundi: & præcipuè Ecclesiæ ac proinde; quæ hic proponuntur, non sunt conclusæ in vitam, vel altera gente, in uno vel altero sæculo, sed complectuntur omnes gentes, omnia panè sæcula exorto Evangelio, & in mundum usque ad sublatum de medio Antichristum; & ideo

Per hos quatuor equos, eisque sessor significatur quatuor universales principatus, seu potestates, quæ à Christo Domino usque ad finem perdurabunt. In primo sigillo principatus Evangelicus, & apparet Christus Dominus qui exiit vincens ut vinceret. Vincens per se ipsum Diabolum, & mortem, & vincet perpetuè per suos ministros Apostolicos, & sedet super equum album, qui sunt omnes Apostoli, ac Prædicatores Evangelici, albi ob candorem suæ eximie puritatis ac sanctitatis. In secundo sigillo sæcularis principatus; & prodit equus rufus. In quo notantur omnes Principes seculares: sive Imperatores, sive Reges, sive alii Dynastæ, non unius vel alterius sæculi; sed qui per omnia tempora à Christo usque ad finem mundi erunt, per omnes Orbis nationes, & præcipuè intelliguntur, qui adversarii steterunt Christiani nominis. Sequitur tertium sigillum, & est principatus Ecclesiasticus, & apparet equus niger. Nam niger color obscurat, & excæcat vilum, & sic olim judices, cum ad judicandum procederent, oculos obvelatos habebant, ne respuerent personas hominum, ne judicarent secundum affectum amoris, vel odii, sed tantum secundum merita, & ideo sessor in præsentibus portas stateram in manu, de quo latius suo loco.

Sequitur quartus equus pallidus, scilicet principatus, ac potestas infernalis, seu furiarum gehennæ cum Paganismo, Judaismo, Hæresi, seu Apostasia, & multis aliis vitiis tanquam cum exercitibus armatis pugnat adversus San-

27. Impugnatur.

28. Aliud est in sigillis, aliud in libro.

29. Sententia Antichristi.

30. Quatuor universales principatus.

31.